Panegyrin medicam ... indicit de magnetismo et electricitate fascini experte praefatus / [Anton Wilhelm Plaz].

Contributors

Plaz, Anton Wilhelm, 1708-1784.

Publication/Creation

[Leipzig] : [Langenheim], [1779]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wv879dvr

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

41523/P
5006

ORDINIS MEDICORVM
IN
VNIVERSITATE LIPSICA
H. T.

PROCANCELLARIVS
D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ

THERAP. P. P. O. FACVLT. MED. DECANVS ACAD. ET NATION. SAXON. SENIOR DECEMVIR MAIOR. PRINCIP. COLL. COLLEGA ACAD. IMPERIAL. NATVR. CVRIOS. SOCIVS, ACAD. H. T. RECTOR,

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XVII. SEPT. A. R. G. MDCCLXXIX.

INDICIT

DE MAGNETISMO ET ELECTRICITATE FASCINI EXPERTE

PRAEFATVS.

CLAVDIANVS in epigramm.

lapis est, cognomine magnes,
ex ferro meruit vitam, ferrique rigore
vescitur.

Maximae vtique ſeculis noſtris cedit laudi, quod in omnibus ſcientiis amplificandis incredibili laboratum fuerit induſtria, maximopere tamen hiſtoriae naturalis ſtudium ita nunc excultum fuiſſe, atque complurimorum adhuc exercere ingenia, vt nihil propemodum ipſius perfectioni addi poſſe videatur, tot tantaque teſtantur de plantis, mineralibus, inſectis, animalium omni genere, aliisque corporibus naturalibus, mira cum ſagacitate exploratis edita ſcripta, ipſorum cognitioni pariter ac vſui haud exiguam lucem affundentia. Neque tamen exiſtimare conueniet, antiquiorum temporum claros viros hac in re negligentiae cuiusdam eſſe accuſandos, cum potius laudatiſſimam ipſorum, in cunctis naturae productis ſollicite luſtrandis, quin etiam vtcunque coordinandis, haud quaquam defuiſſe contentionem, innumera ipſorum loquantur conamina, poſteritati relicta, cui tamen plenioris diſquiſitionis palma tanto minus videtur deneganda, quanto curatiore methodo atque tutiore via, in ſyſtematibus corporum naturalium condendis ingreſſos

fuiſſe ſequiorum temporum indagatores, ipſe exoptatus edocuit euentus, omnium applauſu honoratus, dum per obſeruationes, comparationes, characterum eſſentialium cum accidentalibus collationem, ſimiliaque tentamina, fine ſuo tandem potiri, atque non ſolum obiectorum omnium ordines, claſſes, genera et ſpecies, apte conſociare, verum etiam, quicquid ad ipſorum vſum, cauſis ſuis quantum licuit adaptandum pertinet, ſcrutari ſtuduerunt. Vnicum exempli loco ſit mirum illud magnetiſmi atque electricae virtutis phaenomenon, cui adeo ſtupendae debentur vires, vt ignaris faſcini propemodum quid ſubeſſe videatur, quod ſolis nihilo ſecius naturae potentiis tribuendum eſſe, peritiores haud fugit. Non heri demum, aut nudius tertius, magnes atque magnetica vis innotuerunt; PLINIVS et GALENVS, aliique veterum, non ſolum magnetis mentionem fecerunt, verum etiam virtutem ipſius, ferrum ad ſe rapiendi, quin medicamentoſam etiam commemorauerunt *), ſubinde tamen multa fabuloſa atque veritati parum conuenientia de ipſo fingunt, dum v. c. allii ſuccus, lapidi huic illitus, aut adamas ipſi proxime appoſitus, virtutem ipſius infringere dictus fuit. Ante haec vero quinque circiter ſecula, motus magnetis verſus borealem et auſtralem regionem directus, vt nouum inventum, vel certe poſt tot tempora renouatum, plurimorum ſollicitauit induſtriam, in cauſis peculiaris huius directionis explorandis atque detegendis admodum aſſiduam, quorum tamen virorum varias ſententias hic neque enumerare neque diſquirere conſtitutum eſt, cum non de magnetis

*) GALENVS *de ſimplic. medicamentor. facultat.* Libr. IX.

tis et pyxidis nauticae origine agendum ſit *), ſed ſaltem pauciſſimis ineptae illorum refutandae ſint opiniones, qui neſcio cui faſcino aut incantatoriae virtuti, miros per magnetiſmum productos effectus tribuendos eſſe, ſibi perſuadent. Dum nempe arthritici affectus, paralyſes, capitis dolores, ſpaſmi, aliaque, genus neruoſum praeſertim affligentia mala, ſola magnetis applicatione curata fuerunt, mirabilia haec non ſine incantatione atque magicis artibus perfici poſſe, facili nimium credulitate, ſemper ignorantiae atque infirmi iudicii teſte, exiſtimatum fuit. Incantationis autem notio, latioris, quod neminem latet, eſt ſignificatioois, neque de ſolis cantibus et carminibus, qualibus antiqua ſuperſtitio vtebatur, valet, quin etiam de magia, Φαρμακεία, faſcino et veneficiis praedicatur. Quod ſi vera incantationis tradenda ſit idea, ad illicitas referenda erit artes, quarum ope, additis imprecationum et cantuum peregrinorum formulis, characterum inſolitorum ſignis, idque genus terriculamentis, inexpectati effectus, in perniciem et ſalutem tam hominum quam animalium produci tentantur; quo ſimili latiore ſenſu, magia vtplurimum ſumitur, nunc vero, cum vanae iſtae opiniones maximam partem ceſſauerint, magia iſta merito contemtibilis habetur; naturalis vero, ad ſcientias nobiliſſimas, atque artes praeſtantiſſimas, varia mira phaenomena, ſolius naturae ope producendi, omni iure refertur, atque ad do-

 ctrinam

*) Plura de hoc argumento, ex GILBERTI tractatu *de magnete*, Sedini 1628. edito, peti poterunt, nec non quae de inuento pyxidis nauticae, Sinenſibus tribuendo, atque XI. ante Chriſtum natum ſeculis iam noto, habentur *in dem allgemeinen Magazin der Natur, Kunſt, und Wiſſenſchaften*, 3. *Theil*, 8. *Stück*, *Leipzig* 1754. pag. 140. ſequ.

ctrinam physicam illustrandam quam maxime pertinet, ex qua constat, abstrusas subinde in nonnullis corporibus latere virtutes, quoad suam quidem essentiam atque agendi modum saepe incognitas, effectibus tamen suis, aut casu detectis, aut artis ope, absque vllis magicis praesidiis provocatis, manifestissimas. Simillima igitur est ratio virtutis magneticae, quae, etiamsi non in sola martialium corporum attractione, atque versus polos oppositos directione consistat, verum etiam aliis non minus praestantibus vsibus, non ita facile declarandis emineat, neutiquam tamen ad praeternaturales aut supranaturales apparitiones referenda est. Cum enim hoc certum sit, incredibilem esse magneti in durissimam ferri et chalybis substantiam penetrandi potentiam, quidni in longe molliores atque minore renisu praeditas aliorum corporum partes, magnetica effluuia irrepere, ibidem euolui, atque notabili mutationi producendae apta censeri poterunt? Etiamsi enim haec efficacia, ex theoreticis de magnete principiis parum verosimili cum probabilitate comprobari queat, cum non omnia corpora metallica ab ipsius penetrabilitate afficiantur; per experientiam nihilo secius innotuit, magnetem artificialem, qui a natiuo haud differt, variis inexpectatis mutationibus aptum extitisse. Nolim quidem omnibus, quae de magnetica morborum curatione publicatae prostant relationibus, plenam largiri fidem *), hoc tamen probatissimorum virorum constitit autoritate, non semper frustraneam in variis morbis neruinis, dolorosis et spasticis, magnetis fuisse applicationem. Ipse ego, magnetis non sine exoptato

*) Confer: *Sammlung der neuesten gedruckten und geschriebenen Nachrichten von Magnet-Curen. Leipzig 1778.*

exoptrto ſucceſſu adhibiti, oculatus aliquando fui teſtis. Diuturnioribus atque vehementiſſimis affligebatur dentium doloribus nobiliſſima quaedam matrona, cui, poſt varia, a variis conſultoribus et conſultricibus commendata, in caſſum tamen adhibita remedia, per iocum ſaltem ſuadebam, vt magneticam virtutem, in hoc affectu quoque inſigniter celebratam, experiretur, cum, niſi tentamen hoc profuturum ſit, ne minimum tamen damnum inde extimeſcendum eſſe pollicerer. Adnuebat perſuaſioni, accerſo magnetem artificialem pedis longitudine, denti dolenti admovendum, neque tamen, quod nonnulli quam maxime cupiunt, opus eſſe dicebam, vt verſus borealem regionem ſtaret; admouetur magnes, non ſine repentina dolorum exacerbatione, atque frigoris per totum dentem diffuſi acutiſſimo ſenſu, ſpem boni ſucceſſus maxime dubiam reddente, poſt paucula tamen minuta diſparente, quibus elapſis, tuberculum quoddam in dentis vicinia comparebat, quo in abſceſſum mutato, omne malum ſanatum fuit. An penetrabilitati effluuiorum magneticorum, neruulum ad dentem decurrentem afficientium, an vero magnetis frigori hic euentus gratus ſit habendus, dubium videri poterit, cum non ignotum ſit, aquam frigidiſſimam, nitro etiam acuatam, ore detentam, atque aliquoties, cum incaluerit, renouatam, doloribus dentium ſopiendis quandoque profuiſſe; quicquid vero eorum ſit, nullis profecto opus fuit praeſtigiis, ſola hic naturalis, quaecunque demum fuerit, egit cauſa, neque hinc opus erit, tales euentus portentoſorum vaniloquiorum exornare ampullis, cum ſimpliciſſima potius naturalium cauſarum agendi ratio, haud quaquam obſcura ſit.

Parum

Parum quidem a magnetiſmo electricae virtutis differre videtur potentia, cum, quicquid per magnetiſmum praeſtari poteſt, etiam per electricitatem produci poſſe, communibus phyſicorum aſſeritur ſuffragiis, quoniam ex horum ſententia, eadem communis cauſa, aetheris nimirum centripeti et centrifugi inter ſe conflictantis, concurrat; eſſe tamen etiam perquam multa, ſolius electricitatis ope producenda phaenomena, quae per magnetiſmum haud obtineri poſſint, haud diffitentur, adeo, vt electricitati praeſtantior vtique prae magnetiſmo tribuenda ſit efficacia, cuius quoque diuerſitatis haud obſcura ſunt argumenta, electricitatis eminentiorem prae magnetiſmo virtutem comprobantia. Nulla nimirum opus eſt arte, qua magnetis virtus, vtpote ipſi innata, atque perpetim inharens, actuoſa reddatur, ſemper potius praeſens, ſemper ad agendum promtiſſima, mitiſſima tamen. Electricitatis vero virtutem, potentioribus laboribus ſuſcitandam eſſe, nemo ignorat, quandoquidem mechanicae artis hic concurrat oportet adiutorium, attritus nempe, atque vehementior vorticum aethereorum, in rapidiſſimum motum adigendorum euolutio; eſt praeterea magneti ſola directio polaris data, electricitas vero omnia corpora, ſub qualibet directione afficit, cum calore, luce, diſploſione, atque potentia flammam ſuſcitandi coniuncta; impetuoſius praeterea, atque non ſine periculo quandoque agit, indeque maiore omnino efficacia pollere deprehenditur, qua ad maxime reconditos corporum receſſus penetrando, ipſa concutit, diſſoluit, imo plane deſtruit. Ipſa, quae ab illis, qui electricitatis virtutem in ſe experti fuerunt, doloroſa ſenſatio, totius corporis contremiſcentia, atque convulſiua propemodum commotio, tam repentinam, quam

ſubti-

ſubtiliſſimam ipſius teſtantur penetrabilitatem, tanta non raro cum vehementia agentem, vt, quod haud paucis conſtitit exemplis, ſubitaneae quoque mortis cauſa extiterit. Indeque facili cognoſci poterit negotio, qui fiat, quod in paralyticis, rheumaticis, ſoporoſis, ſimilibusque affectibus, neruoſum genus praeſertim affligentibus, in quibus excitantia, ſtimulantia, roborantia, neruina, tam interna quam externa, fruſtraneo conamine affatim adhibita fuerunt, ad electricam vim, tanquam vltimum atque efficaciſſimum creditum praeſidium confugi ſoleat, cum per tentamina haud pauca intellectum fuerit, vix potentiore modo in ſyſtema neruoſum agi, atque ſegniorum humorum viuacitatem et motum ſuſcitari poſſe, niſi cum volubillimi electrici vortices, prudente directione ad partis affectae intimos receſſus adacti fuerint, quandoquidem ſenſilitatem atque mobilitatem aegrorum artuum hac ratione reſtitutam fuiſſe, ex practicis obſeruationibus, miram huius medendi methodi eminentiam commendantibus innotuit, adeo, vt non ſemper pretioſiſſimis atque potentiſſimis medicaminibus, ex pharmaceutico aut chirurgico apparatu petitis, opus ſit, cum ſimpliciſſimo hoc artificio, omnibus aliis ſuperiore, exoptatiſſimus impetrari poſſit effectus, non magicis praeſtigiis aut portentoſis ritibus adſcribendus, quin ſoli potius naturae, atque ipſius viribus, a medico recte cognitis, atque circumſpecte adminiſtratis, in acceptis ferendus.

Harum quoque naturalium virium induſtrium ſe hactenus fuiſſe exploratorem, atque circumſpectum in poſterum futurum adminiſtratorem, compluribus ſpeciminibus Ordini noſtro datis edocuit, qui commendandus nunc eſt

VIR
CLARISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
DOMINVS
CAROLVS IOACHIMVS
PFOTENHAVER
MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS,

quem in omnibus medicinae diſciplinis aſſidue addiſcendis, laudatiſſimam ita poſuiſſe teſtamur operam, vt nunc, cum publicae quoque rei vtilis eſſe conſtituerit, optima quaeque de ipſius doctrina atque prudentia ſperare conueniat. Quibus vero ducibus atque magiſtris gratum habendum ſit, quod in omni literarum genere, atque medicae quoque artis ſtudio egregie profecerit, ex vitae ipſius ratione, de qua ipſe ſcripſit, intelligetur.

Natus ſum Wittebergae, die XVI. Iulii, anno huius ſeculi LVI. patre *Ioanne Georgio*, SS. Theologiae Licentiato et Diacono ſecundo ad aedes Sophiae dictas eiusdem ciuitatis, quem vero, mihi adhuc infanti, praematura morte ereptum, adhuc lugeo; matre *Friderica Concordia*, ex gente *Reinhardia*, cuius inſignem amorem, indefeſſamque curam in procuranda mea futura felicitate, vt hic publice

blice iuſtis extollam laudibus, pietatis officium duxi. Nec poſſum non grata recolere memoria nunc quoque beatum Auum *Chriſtianum Fridericum Reinhardtum* Principi Elect. Sax. a Conſiliis Commiſſionum et Quaeſturae *Seydenſi* vltra quinquaginta annos praefectum: auiamque *Sophiam Concordiam Loeckeliam.* Horum parentum coniuncto ſtudio debeo hoc, vt non ſolum religionis principiis et moribus imbutus ſim purioribus atque ingenuis, ſed etiam literarum elementis inſtructus. Dum enim Seydae verſarer, me inſtitutioni atque diſciplinae Doctiſſimorum Praeceptorum *Noebelii*, *Arnoldi*, atque *Wirthgenii* optime de me meritorum tradiderunt. Deinde partem educationis meae in ſe ſuſcepit, Vir ſumma pietate mihi ſemper deuenerandus Magnificus atque Experientiſſimus LANGGVTH, meque ſecum Wittebergam duxit, qui me, vna cum Coniuge dilectiſſima mihique multis nominibus ſuſpicienda, ſingulari et vere paterno amore amplexus, priuatis *Mülleri;* priuatiſſimisque Excellentiſſ. ac Praenobiliſſ. Virorum *Hilleri*, *Geyſeri* et *Schützii* inſtitutionibus commiſit. Ibi cum per quatuor annos eſſem commoratus, clementia atque indulgentia Sereniſſimi Principis, ſcholam illuſtrem prouincialem Grimenſem petii, cuius Magiſtri Celeberrimi, *Krebſius*, *Mückius*, *Hoffmann*, *Reichard*, *Richter*, me linguis et artibus liberalibus non ſolum fideliter erudiuerunt, ſed et-

iam ſingulari proſecuti ſunt fauore. Verba autem plane deficiunt, quibus Clariſſimi *Mückii* inprimis celebrem in me beneficia. Is enim fuit, qui me morbis grauiſſimis ſaepius ibidem conflictantem, vt pater, ſinu atque gremio ſuo recepit, fouitque; qui me multis tunc temporis fere oppreſſum calamitatibus, ſaepe et pietatis exemplo, et comitate, ipſi propria, et paterna cura atque amore erexit, vitamque ſeruauit; cui quae mihi exhibuit beneficia, nec ego, vnquam, qui vitam, nec mater, quae filium ſervatum ipſi debet, ſed ſolus ſummus bonorum largitor, haud interrupta omnibusque bonis exornata, ipſi conceſſa ſalute remunerare valet. Tum vero ad altiora ſtudia tractanda me conuertens, Academiam Wittebergenſem anno CIↃIↃCCLXXIV Rectore SCHMIDIO adii, meque ſtudio medico dicaui. Ibi primum ſcholas frequentaui philoſophicas SCHMIDII magna cum vtilitate, nec non doctrinam morum a Praecellentiſſimo REINHARDO optimo fautore atque amico meo accepi. In arte medica vero addiſcenda inſignia ſunt Magnif. BOEHMERI in me merita, cui omnem, ſi qua eſt, quam mihi in Anatome, Phyſiologia, Botanica, Materia medica comparaui notitiam, nec non diſputandi facultatem, acceptam refero. Pathologiam autem, Therapiam generalem et ſpecialem, Chirurgiam, Artem obſtetriciam theoreticam, Medicinam fo-

renſem

rensem denique me docuit Experientissimus LANGGVTH, qui et colloquiis et quacunque alia ratione me doctiorem reddere nunquam desiit. Nec possum non iustis extollere laudibus Illustris TRILLERI, Venerabilis Senis patrocinium atque beneuolentiam. Ita triennio, et quod excurrit, peracto, Lipsiam me contuli, ciuiumque numero a Magnifico ERNESTIO Iun. tunc temporis fasces tenente adscriptus, quae antea secutus eram, castra repetii. Et hic primo loco mihi nominandus venit Excell. GEHLERVS, qui mihi et Chemiam vniuersam, et artis obstetriciae partem applicatam, nec non morbos oculorum exposuit, et cuius omnino tot tantaque sunt de me merita, vt sane ingratissimus essem, si vnquam obliuioni traderem. Nec minor fuit in me beneuolentia atque favor Fratris Consultissimi GEHLERI, qui me mathesin puram docuit. In materia medica, arte pharmaceutica, atque examinatoriis priuatissimis mihi perutilis fuit Experientissimus LEONHARDI iun. Sic quoque examinatorio Exc. KRAVSII eiusque de morbis infantum praelectionibus interfuisse, me nunquam poenitebit. Physicam et Theoreticam et Experimentalem ab Exp. LVDWIGIO Sen., Historiam naturalem ab Amplis. LESKIO didici.

Debeo ſummis quoque extollere laudibus Gentes ac domos Illuſtr. *Menkenias*, *Welkias*, *Bornias*, *Platnerias*, *Reinhardias*, quae me quamquam quodammodo peregrinum tam liberaliter exceperunt, tamque innumeris exornarunt beneficiis, vt verba ſane deſint, quibus debitas ipſis perſoluam gratias, animumque ſpondeam ſemper obſtrictiſſimum.

Primos in noſtra arte honores obtinui menſe Febr. huius anni, et paulo poſt habitis lectionibus pro Licentia *De Menſtruis Chemicis*, menſe Iulio huius anni examen rigoroſum ſuſtinui.

In hoc examine, cum RECTE reſpondiſſet, veniam nactus fuit, ſuam inauguralem Diſſertationem *de igne fluiditatis cauſa*, Moderante Excell. PLATNERO, ex cathedra medica propugnandi.

His omnibus praeclare peractis, poſtquam omnes officii ſui partes expleuerit Candidatus noſter, ego quoque, officii mei memor, pro ea, qua clementiſſime atque legitime inſtructus ſum, *Procancellarii* autoritate, ipſum in ſummos in augurabo honores, plenam ipſi daturus Licentiam, ſupremum Doctoris in arte medica capiendi gradum. Dictus eſt huic ſolennitati proximus *Veneris* dies, XVII. *Septembr.* quam panegyrin vt PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI,

SIMI, GRAVISSIMI VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, nec non GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI VNIVERSITATIS NOSTRAE LITERARIAE CIVES, honorificentiſſima atque frequentiſſima ſua praeſentia ſplendidiorem reddere haud grauentur, obſeruantiſſimis atque humaniſſimis precibus rogo. Operam dabo ſedulo, vt, dum *de medicina practica ſuper theoretica primatum tenente,* dicturus ſum, et breuitate commender, et in publicis perſoluendis gratiis, me huius beneficii, Ordini meo mihique tributi, non immemorem fuiſſe praeconem, ſignificem. P. P. Dominica XV. poſt Trinit. Feſt. A. R. G. MDCCLXXIX.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.